

X. *Observationes variæ Medico-Chirurgicæ a Johanne Daniele Schlichting, Med. & Chir. Doctore, Acad. Cæsareo-Leopoldin. Nat. Curios. Membro, & Commercii Literarii Norimberg. Socio.*

*Circa Spinam Ventosam Animadversa nuper detecta.*

Read Dec. 23. 1742. 1. **C**OMperii illam esse ægritudinem,

quæ luem Veneream multum æmulata & humores & vasa corporis inficit.

2. Eam non semper ossa, neque medullam primum afficere, sed interdum quoque adipem, membranas, & posthac ipsa demum ossa.

3. Periostea aliæque ambientes partes subinde solum apparent tumefactæ, quibus discissis nulla nondum ossis infectio.

4. Aliis os primum tumescit, idque in epiphyssi. Digitorum autem ossa per totam suam molem aliquando tument, unum aut plura.

5. Quando os carie infectum vidi, expertus sum insuper interdum ulcera, fistulas, tubera ad clunes, sub axillis, oculos aliasque partes vel inflammatas vel exulceratas esse; quæ vero cuncta symptomata cedebant penitus unico remedio, Mercurio, huic morbo atque lui Veneris proprio.

6. Abscessus & ulcera ad articulos, ad periosteum & ligamentum usque penetrasse, neque ulla tamen caries conspici poterat. Ast subinde nuditas ossis comparet absque carie, aliquando cum carie ac sine  
ex-

exostosi, & iterum exostosis absque nuditate & absque carie.

7. Facta suppuratione, exostosis postmodum adhuc multum resolvitur proprii remedii usu.

8. Immo, separatis ossium particulis reliquus offeus tumor pedetentim resolutione fatiscit.

9. Privantur ægri & mutilantur digito, manu, pede, vel uno aut multis articulis, neque malo tamen penitus orbantur: restat subtilis materia venenata humoribus mista, quæ prioribus similia mala postmodum licet aliis in locis resuscitat. Hinc pars aliquando frustra amputatur, quum vel ad eandem partem, aut proximam aut distitam quoque, virus efficax appulsum eundem morbum excitare conspicitur.

10. Immerito hic loci, in civitate adeo populosa, soli naturæ miseri relinquuntur, per annos decem & ultra sic frustra afflicti, sperato quotidie vano naturæ spontaneo adminiculo. Expectando autem sat diu ac nimium, pereunt tandem tabidi quam miserrime ita malo vexati.

11. Sine fructu igitur multis futilibus atque vanis adhibitis remediis, medicatus diu vexans ægrotos liquorum decoctis, alvum sudoremque cientibus diureticis, terreis, minerali Æthiope, Cinnabari, Marte, omnibus ne hilum quidem proficientibus, consulul MERCURIUM, & efficacem inveni, illum quidem præcipue extus affectæ parti illitum; quamvis & Panacææ forma intus ore assumtus ille mihi nonnunquam satis proficiuus & efficax obvius factus sit.

12. Partem tumentem, in quocunque sit statu, cute tectam aut ulceratam, cum vel sine ossis nuditate aut carie, unguento Neapolitano inungendam jubeo.

℞ *Ung. Ros.* ℥j. *Mercurii viv.* ℥ss. *Terebinth. clar.*  
 ʒj. M. F. *Ung.* ter, octo, decem aut quatuordecim  
 dies pro re nata, & ætatis ratione, plus minus, citius  
 tardiusve id oblinatur, imposito supra communi em-  
 plastro diapalm. defensivo, aliove: illinatur autem sin-  
 gulatim parumper bis de die: exhibito interdum, ad  
 avertendum ptyalissimum, leni pharmaco alvum ciente:  
 Idque ad duos tresve menses aut ultra agendum est,  
 donec ulcera funditus coaluerint, atque ossei tumores  
 maximam partem disparuerint, desistendo interea non-  
 nunquam ab usu Herculis, Mercurii, qui longo tem-  
 poris spatio hic medetur tarde, non quidem per ptya-  
 lissimum, contra ac in lue Venerea accidit. Tam  
 enim parvo tempore omnia spinæ phænomena haud  
 disparent salivæ fluxu, uti contra Syphilidi con-  
 tingit.

13. Sæpe & fere semper vidi, hac sola methodo  
 non modo tumores fuisse resolutos, verum & ulcera  
 profunda, & ista cum carie putrida, fungosa, quæ  
 fistulas mentiuntur, &c. penitus solidata, nulla om-  
 nino facta scissione, terebratione, abrasione, ustione;  
 adhibita interim extus solummodo simplici ulceribus  
 propria deligatione.

14. Ast ubi hac medendi ratione per aliquot heb-  
 domadas porrecta comperii, haud ita faustum fore  
 successum, quum pus, ichor, lympha intus reclusa,  
 aut ossis corrupti fragmentum vel separari vel excerni  
 nescit, partem rite incidendam, atque spongia aut  
 linteo'o carpto dilatandam satis curavi; adhibitis  
 posthac vulneri *Myrrhæ* seu *Euphorbii* tinctura,  
*Aq. dir.* Fernel. *Ung. fusc. Fel. W. Alum. crud. &*  
*ust. Merc. præcip. & dulc. Spirit. Terebinth.* aliisque  
 omnibus pro re nata in usum vocatis, quibus ulcera  
 for-

fordida una cum carie mundentur, caro excrefcens fungofa coerceatur atque fauciatum consolidetur. Non neglecto tandem vinculo arctis fasciis ftricto, una cum rara fub finem neceffaria deligatione.

15. Tumorem vero partis folidatæ poft hac fæpe numero diu refiduum naturæ difcutiendum relinquo, aut gummoſum ei emplaſtrum affigendum curo.

*Pleuritis fuppurata per vulvam puellæ excreta.*

Puella, vicini lanionis filia, tres annos nata, afficitur pleuritide, quæ in abſceſſum vertebatur clauſum, juncto per menses aſthmate. Sed fubito puris fluxus oboritur per puellæ vulvam, extra tempus lotii reddendi, idemque fere continuus, die noctuque per quatuor ferme menses haud interruptus, protractus, ut femina ac femora degluberentur. Quo elapſo tempore ægrota perfecte convaluit, nullis pene adhibitis medicaminibus, & adhuc annis quinque poſt validam degit vitam.

*Absceſſus Lienis per vulvam facta puris excretionem fanatur.*

Uxor J. Z. S. juvencula ante ſex annos afficitur lienis tumore, quo diſparente, per menses purus e vulva copioſum abſque urina ſtillatim profluxit, & perfecte liberata eſt etiamnum vegeta ac valens.

*Loco ſeminis ſanguis expellitur in coitu.*

Juvenis 26 annorum quatuor ante annos virulenta gonorrhœa afflictuſ, per annum uſus præter pharmaca purgantia fortiffimis diureticis, cruorem tandem loco ſe-

feminis ejaculari coepit absque dolore, cumque ex rufo nigricantem, nullum extra coitus aut pollutionis tempus passus ex urethra fluxum. Et licet per septimanam, immo per mensem unum aut plures, hanc omnino vitaverit excretionem, eundem post equidem ejaculatus est cruorem: neque vel semel quidem ad hoc usque tempus purum semen emisit, immo vix unquam aliquid albi semen æmulantis rubro mixtum apparet. Fortissimis adstringentibus & temperantibus intus & extus utendum curavi, quando rubrum & nigricans parum albesceret. Posthac ptyalissimum institui protractum satis, aliisque in usum vocatis, nihil tamen cunctis proficientibus. Quare immedicabilis ille nobis declaratus est soli naturæ relinquendus. Numne in prostaticis aut vesicularum feminis altera ulceratis vas sanguiferum ruptum neque solidatum, ut causa, quærendum?

*Coxæ articuli suppuratio, cum secessione capitis femoris, solidata, vide TAB. Fig. II.*

Anno 1730. Puella rustica 14 annorum coxæ articulus tumescit, dolet, suppuratur, perrumpitur. Chirurgus dilatat foramen natura factum: extrahit totum ossis femoris caput: subjicit posthac in ulceris cavitatem *Myrrhæ tincturam*, porro *fuscum ungu. fel. W.* stringit eam denique arcto vinculo, raro deligat, atque sex septimanarum curriculo consolidat, ut puella postmodum libere liceat manca infesserit. Ecce figuram ab isto Chirurgo ruditer delineatam

- N<sup>o</sup>. 1. denotat acetabulum innominati ossis.  
 2. caput ossis, quod ex ulcere extractum est.  
 3. cruris collum, &c.

*Aneurisma falsum non pulsans cruorem continens liquidum.*

Anno 1741. conveni cum Chirurgis fœminam A. C. Carstcus, cui erat brachium dextrum, circa cubiti ac radii articulum cum ipso, prætumidum, pollicibus 32 crassum, a phlebotomia ante annum ibi facta, exortum, nunc inflammatum, rubicundum, valde dolens. Tumor erat extensus ab infima humeri parte ad carpum fere usque, uti TAB. Fig. III. demonstrat. Ad latus internum apparuit ulcusculum lividum gangrænæ junctum, rupturam præfagiens. Tactu erat instar vesicæ humoribus plenæ ac constrictæ absque omni vel minima pulsatione, adeo durus ac densus, ut nullam, & re minimam quidem reprefionem admitteret. Ad carpum quoque nulla pene pulsatio micabat. Nonnulli putabant fungum adiposum clausum forte subesse, qui clausus æque durus comparet: ast ego cum aliis aneurisma non pulsans latere suspicati sumus. Hinc convenimus, omni brachio fasciis commode circumvincto, rupturam esse expectandam, quæ die etiam sequente tertio contigit: Quando, soluta ligatura, momento temporis, maxima vi cruor liquidus ultra libram profiliit. Chirurgus beneficio fungi bovis. & fasciis sedavit extemplo hæmorrhagiam. Duas post horas consensimus omnes, aut brachium amputandum, aut arteriam esse circumligandam. Elegimus autem arteriæ ligaturam, apposita primum machina torculario sive *turnequet* dicta ad arteriam supra comprimendam, discissis supra aneurisma, in parte sana, brachii ferme media, cute adipe ac ventre bicipitis muscoli, atque acu cum  
filo

filo infra aut subtus arteriam transmissa, ac filo circumligato. Tum, sursum ac deorsum omni diffusio aneurismate, sanguis,isque clarus, rubicundus, liquidissimus, copiosus, vel ad libras quatuor subito profudit, quem ceperat ipsius una cavitas. Mirum spectatu, hic nullum repertum fuisse arteriæ saccum, uti in vero aneurismate videre est, neque polypum aut sanguinigrumum, ut in falso, sed cavitatem longe aliam intercutim & musculos atque inter musculos ipsos formatam, atque musculos ad brachium inferius sitos omnes a se invicem sejunctos, ac si arte essent separati, sed pallecentes, vapidos, luridos, ad quos adhærebat parca quædam gelatina mucii mollis instar, quam digitis ipse deteresi, & quæ elota albescebat penitus: in memorata cavitate porro mirabundi omnes conspeximus ex sex septemve locis supra infra, & e lateribus, tanquam ex tot canaliculis, cruorem vi atque copia profiliisse. Ad eos tum canaliculos obstipandos admovimus fortissima styptica, cum *bovisf. boleto, vitriolo, spiritu terebinthinae, alcohol Vini, &c.* quibus & omnem cavitatem ope lintei carpti implevimus, arctis emplastris atque fasciis circumvincto supra vinculo ista: quidem cito sanguinis flumen coercitum est, ast mala ex malo exorta symptomata, qua rupturæ præcesserant, uti erant febris, ructus, nausea, vomitus, singultus cum calore, lipothymia, tendinum subsultu, &c. vesperi exasperabantur. Die sequenti iisdem crescentibus, juncto delirio, tertio die mane, non obstante temperantium, anodynorum, cardiacorum usu sat largo, vitam cum morte commutavit. Et quum raro admodum ejusmodi exemplum occurrit, ideo memoratu dignum

id

id judicans huc transcripsi, figuramque hanc tertiam apposui. Notantur autem in TAB. Fig. III.

- Nº 1. Brachii dextri aneurismate obfita interius latus.  
 2. Locus unde sanguis sponte prorupuit.  
 3. Brachii dextri ejusdem externum latus.

Scripseram *Amstelædami*,  
 d. 16 *Septembr.* 1742.


XI. *Observationes duæ Anatomico-practicæ, una de Infante nato cum Sacco Aqua pleno, ab Osse Sacro usque ad Talos propendente; altera de Hydrocephalo singulari. Auctore Job. Bastero, M. D. R. S. S.*

Read Dec. 23.  
 1742.

**O**MNE illud, quod lymphatica vasa ita obstruit, ut transitus contentæ lymphæ ad cor impediatur, hydropem causari potest: sic quando in partu difficili caput nimium premitur, vel capite jam nato, os uteri collum, vasaque jugularia ita constringit, ut reditus sanguinis per arterias vertebrales allati inde impediatur, oriri potest Hydrocephalus.

Sic *Lowerus*, libro de corde, Cap. I. in cane vinculo ligabat venas jugulares, arteriis aperte relictis, viditque canis caput pedetentim intumescere, ipsumque hydropicum fieri: & ipse in suspensis hominum cadaveribus plus semel expertus sum, laqueo reditu sanguinis ex capite impedito, cavitates cerebri humore aquoso esse repletas, plexumque choroideum hydratibus scaterere.






*Fig. I. p. 221.*



*Fig. II.  
p. 274.*



*Fig. III. p. 277.*

